

Q. D. B. V.

49.

GEMINUM NOMEN

CHRISTI JESU

STRENÆ LOCO OFFE-

RENDUM,

In Illustri ad Salam AUGUSTEO

Moderatore,

M. CHRISTIANO WEISIO,

Profess. Publ.

Ad d. 9. Jan. MDC LXXVII.

Aliquot Oratiunculis ventilabunt,

FRIDERICUS CHRISTIANUS Ripsch/ Altenburgo-Misnicus.

IMMANUEL LEISTENIUS, Halensis-Saxo.



WEISSENFELSÆ,

LITERIS JOHANNIS BRÜHLÆI, AUG.

TYPOGR.



Olenne CHRISTIANORUM
semper fuit nomen, ex quo credentes
Antiocheni, à Magistro suo CHRISTO,
sic voluerunt appellari: quod jam an-
notavit Lucas in *Actis Apost. cap. 11. vers. 26.*
Rem ipsam Baronius Annalium Scri-
ptor refert ad annum Christi 43 simulqve ex Athana-
sio causas allegat, cur hoc nomen tanto fuerit con-
sensu approbatum. Antea enim dictos fuisse Disci-
pulos, qvi Apostolis aut viris Apostolicis adhærerent;
ast postquam Seductores quoq; suos habuissent Disci-
pulos, ne sub communi nomine lateret fallacia, novo
hoc caractere fuisse quæsitam distinctionem. Et
verò nominis efficaciam egregiè scrutatur Eusebius
Hist. Eccles. lib. 1. cap. 4. qvi adversus Ethnicos & Judæ-
os, quibus Christiani videbantur Novatores, ita dis-
putat, ut ex *Esaiaë cap. 62.* fateatur quidem, *His, qui*
DEo essent inservituri, novum impositum iri nomen; interim
addat hoc, si res ipsa spectetur jam credentes Veteris
Testamenti fuisse Christianos. Ita autem loquitur,
seu ita reddidit Græcum textum Joh. Christophor-
nus ejusdem interpres: *Illam omnia, quæ Christiani nomen in*
se continet, (nimirum ut sit Christianus, qvi per Christi cognitionem
& doctrinam, modestia, justitia, arduarum rerum in vita perpe-ssio-
ne & tolerantia, virtutis constantia, pietatis etiam veriq; cultus con-
fessione, uni & soli Deo super omnia attribuendi, præstet, excellatq;)
illa, inquam, omnia ab illis antiquis Patribus non minus studiose,
quàm à nobis exercitata excultaq; fuerunt.

Quærere

Quærere autem quis possit, cur potius à CHRI-
STO Christiani quàm à JESU voluerint dici Jesuani
vel Jesuitæ? Ipsum enim nomen JESUS adeo erat,
peculiare, ut ab Angelo etiam Virgini Matri præ cæ-
teris commendaretur. Sed duo sunt, quæ mihi qui-
dem probare videntur, cur CHRISTI nomen tum-
temporis arriserit. Primo enim Antiochena Eccle-
sia, etsi Judæorum & profelytorum ferax, multos ta-
men, imò plures habuit è Græcis & Ethnicis, quibus
omninò persuadendum erat, destructum esse parie-
tem intergerinum, qui Judæos Græcosq; separasset,
Græcumq; nunc existere nomen, qui universali huic
hominum Salvatori nunc tribueretur, adeoque uni-
versalem ejus redemptionem redderet insigniorem.
Deinde, si cogitemus CHRISTUM Græcè appellari,
qui Hebræis erat Messias, h. e. Unctus seu ut clarius
loquamur, Rex vel Sacerdos: patet nomen JESU esse
proprium, nomen CHRISTI appellativum seu Offi-
cii, id quod clarè explicat Flacius *in Clave voce Christus p.*
III. Jam receptum certè inter Politicos etiam est, ut
milites ac ministri à Domino suo nomen trahentes,
appellativum citiùs quàm proprium respiciant. Neq;
temerè se quis Ministrum dixerit Leopoldinum seu
Johan-Georgianum, sed Cæsareanum vel Electora-
lem Saxonicum. Pari sanè ratione, quoniam creden-
tes novo Regi subjectionem erant testaturi, fateban-
tur vel ideo se esse subjectos, quod esset Christus, ac
haberet Regni & Sacerdotii jura, ac inde se dici Chri-
stianos, ut, sub quo vexillo militarent, à caractere
sui Principis intelligeretur. Sed de hoc disquirant
Theologi. Nobis parum apparet discriminis, five à
JESU, five à CHRISTO quis denominationem acci-
piat,

QVÆRERE

piat, cùm utriusq; significatio, ut ita loqvar, materia-
lis divelli nunquam possit. Testatur hoc Gregorius
Nyssenus, quem Baronius *ad an. 43. num. 13.* ita loquen-
tem introducit: *Participatione Christi, Christiani appellatio-
nem sortiti sumus: ita & per consequens convenit, omnium quoq;
sublimium nominum nos adsciscere communionem & societatem:
quemadmodum in catena, qui eum, qui in extremitate est, annu-
lum attraxerit, eos qui continenter inter se coherent, per unum at-
traxerit.*

Interim hoc ipsum Christianorum nomen postea
multis aut cœpit displicere, aut tamen visum fuit in-
digere novæ explicationis. Hæretici enim sub isto de-
nominationis pallio cœperunt delitescere. Primiqve
fuerunt Carpocratiani, ut historiam Baronius *num. 14.*
ex Epiphanio repetit, qui somniantes omnimodam
bonorum communionem inter Christianos, non po-
terant sese Christianis subtrahere. Secuti sunt reliqui
Hæretici, de quibus conquestus Augustinus, *epist. 16.*
*Videmus, ita scribit, nullum jam errorem se audere extollere ad
congregandas sibi turbas imperitorum, qui non Christiani nominis
velamenta conquirat.* Unde prioribus seculis jam rece-
ptum nomen Catholici, nec inusitata interpretatio,
Baronio *n. 17.* laudata; *Christianus mihi nomen est, Catholicus
verò cognomen, illud me nuncupat; illud ostendit; hoc probor, inde
significor.* Et hoc ipsum egregiè illustravit, qui sub ficto
nomine Alexandri Patritii Armacani ante hos 40. an-
nos Martem Gallicum edidit: sive is fuit Cornelius
Jansenius notissimæ hujus nominis sectæ Auctor, sive
alius quispiam partium Hispanicarum eruditissimus.
Cum enim Besianus Arroyus Doctor Theologiæ Pa-
risiensis 1634. edidisset *Quæstionum decisiones*, ut li-
bellum vocabat, ac inibi suo Regi tantum non in o-
mnia

omnia regna totius universi prætensionem & jura belli confirmare niteretur, conquisitis argumentis, quæ five robur, five colorem lectori imperitiori conciliarent; inter alia placuit provocare ad titulum Christianismi, Regibus Galliarum maximè proprium, quasi hujus auctoritas quicquam facere posset ad prætensionum firmitatem. Hæc omnia discutienda suscepit Mars Gallicus, tam felici certè calamo, ut in brevitate dictionis & rerum nobilissimarum selectu pares adversarios nondum habuerit. Initio quidem *l. 1. cap. 14.* Christiani nominis sensum exponit, quod in alios auctoritatem non conferat, sed propriæ modo salutis testimonium perhibeat. *Sit igitur, inquit, fide baptismoque Christi Christianus, sit fide, caritate, zelo crescente Christianior; sit fidei propaganda tuendaque voluntate Christianissimus, sive miles ille fuerit, sive sanctus, sive Rex Franciæ sive Imperator, hoc ipso nec minimum quidem in regendi potestate atque auctoritate superat Christianum.* Postea ad rem accessurus *c. 22.* probat Reges Hispaniarum, antequam Gallici sic fuissent appellati, audivisse Christianissimos, ideo autem *cap. 23.* statuit, apud Hispanos præ Christianissimi caractere, receptum fuisse titulum Catholici. *Nam initio Christianissimos hoc ipso à paganis & Judæis sese divisisse: exortis autem, sive per Hispaniam propagatis Arianis, placuisse titulum, quem seculo statim quarto Ecclesia Africana adversus istos hæreticos assumpsisset, dictosque Reges adeo vel Orthodoxos, ut distingveretur ab hæreticis, vel Catholicos, ut distingverentur à schismaticis, s. potius ab utrisque.* Sed transeant hæc. Si enim vel maximè cœtus aliquando orthodoxus Catholici cognomine puritatem suam est testatus, non sequitur, sub nomine hoc pulcherrimo latere non posse aliquam fallaciã: Si Christiani titulus rapi in abusum potuit, imò, si fa-

si fatente Salvatore emerfuri aliquando erant falsi
Christi: cur non falsi Catholici? Quin imo Arianos,
Donatistas aliosq; jam olim dici voluisse Catholicos,
egregiè demonstrant Theologi Saxonici in der Haupt-
Vertheidigung/ cap. 18. p. 157.

Et verò inter ipsos hos Catholicos fuerunt, qui no-
vum Sanctitatis characterem à nomine JESU quære-
rent. Circa annum enim 1366. Senis in Italia Jesuato-
rum Ordo innotuit, quorum quidem a seclæ non sacris
initiabantur, sed precibus tantum vacabant, & privatim sibi vive-
bant, suis manibus victum quærentes, confirmati ab Urbano V. Pon-
tifice. His enim verbis eosdem describit Hospinianus
de Monachis l. 4. c. 40. ubi addit, Jesuatos dictos vel Injesu-
atos, quod Jesu nomen frequentissimè haberent in ore: unde etiam
dici meruissent Apostolici. Sed de his, quoniam, incertum
quo fato, paulo post interiire, multum non attinet
dicere. Clarior enim ac per omnes mundi partes dif-
fusior est Secta Jesuitarum, auctore Ignatio Lojola ex-
citata, ac anno 1540. per Paulum III. Pontif. confir-
mata. Cujus quidem rei pulchrum compendium ex-
hibet Thuanus lib. 32. p. m. 691. addens postea quantis
conatibus an. 1564. in Gallia ab Academia Parisiensi
adversus novum hunc Ordinem fuisset disputatum.
Licet enim novi sui nominis rationem redderent istã,
Ignatio, cum Romam esset profecturus, in via quasi per ecclasin ap-
paruisse DEum Patrem, qui Jesu Filio crucem bajulanti, & crude-
lissimis affecto cruciatibus ipsum Ignatium & socios commendaret,
& se iis Romæ propitium fore, ultro reciperet; unde in honorem ipsius
Salvatoris, Jesu Socios voluisse appellari: interim habebant
Galli, quod opponerent. Imprimis Eustochius Bellaj-
us Episcopus Parisiensis, sententiam rogatus hæc
scriptis mandavit: Societatem illam, ut non vos omnes ordines,
summe

summè periculosam, & his temporibus ad motus potius concitandos, quàm Ecclesie concordiam sarcendam institutam: imprimis Jesuitarum nomen, ut arrogantia plenum improbari: quippe cum ita solis sibi tribuant, quod Ecclesie Catholicae competit, quæ proprie fidelium congregatio dici potest, cujus caput est Christus; illos verò cum hoc nomen solis sibi sumunt & hoc dicere videri, solos se Ecclesiam constituere. Quare postea idem Bellajus etsi Societatem videretur approbaturus, hoc tamen urgere non desinebat, ut aliud quam Societatis Jesu vel Jesuitarum nomen assumerent. Sic an. 1565. cum Petrus Verlorius pro Jesuitis verba fecisset, vicissim nomine Academiae Parisiensis verba fecit Stephanus Pascasius (seu Estienne Pasquier quo Gallico nomine clarior est) qui tandem in vectus in ambitiosum eorum nomen quod cum sectarii alii ante CC annos usurpassent (intelligit Jesuitas) ab Ecclesia rejecti & justo Dei judicio & flagello omnino dissipati perierunt. Hoc nomine nihil aliud agi, quàm ut inter ejusdem religionis Professores scissura constituatur, & Jesuitæ alii sint, alii Christiani. Hæc placuit excerpere è Thuano, quem tamen, vel hunc ob discursum castrare non erubuerunt Jesuitæ, ut, quæ nunc allego, frustra sis quæsiturus in additionibus Coloniensi vel recentiore Gallica. Cæterum, nescio, an hujus Ignatii exemplo tam in Italia, quàm in locis Ultramontanis exortæ fuerant Virgines, sub titulo Jesuitissarum novam sanctitatem professuræ: quæ cum Pontificis confirmationem non impetrassent, solenni bulla 1630. ab Urbano VIII. fuerunt abolitæ: quam quidem Bullam Hornbecki⁹ Professor Lugdunensis apud Batavos erudito commentario illustravit, qui adjunctus est Commentario in Bullam Innocentii X. adversus pacem Germaniæ 1651 editam.

Sed pergimus ad institutum nostrum. Hæc enim nomina, unde CHRISTI ac JESU dicimur a seclæ, ornatissimis duobus Juvenibus ansam suppeditavere, ut primum Augustei ingressum, qui quidem post Januarii Calendas contingit, hoc ipso omine voluerint reddere salutarem ac lætificum. Et est sanè argumentum ejusmodi, ut de benignis ac fa-

ac faventibus Auditoribus omnino desperandum non sit. Procedet autem Kipschius, primum in titulo nominatus, nulliq; si industriam spectes, secundus, quantum nomen JESU omnia superet nomina declaraturus. Sequetur alter Leistenius, Rectoris & Collegæ nostri conjunctissimi non degener filius, ac in spem Parentis optimam succrescens, qui quantum solatii afferat CHRISTI Nomen, dicendo explicabit. Redibit tandem Kipschius, summam non modo horum nominum Concordiam commendaturus, sed etiam, quia Gregorius Nyssen⁹ supra allegatus, omnium nominum quasi connexam catenam agnoscit, loco Strenæ hanc catenam, Reverendissimo Nutritio, Serenissimæ Saxonum Familiæ, Reipublicæ, Ministris, Augusteo, omnibusq; & singulis apprecaturus.

Ad vos autem, quicumq; talia legitis, decenter nostra se convertit invitatio, velitis laudabilem hanc devotionis Natalitiæ laciniam non contemnere, vestraq; præsentia Studioforum in dicendo & promptitudinem & pietatem ita provehere, ne unquam in Augusteo nostro apud Juvenes inclyta ista exercitia intermorianantur. Promittimus si non reciprocam favoris relevationem, quam quidē in potestate nostra vix esse positam agnoscimus, certè tamen indelebilem ac ad quævis servitia promptissimam memoriã.

Quod reliquum est, rogamus Omnipotentem Patrem JESU Christi, velit Principem hunc Pacis novo hoc anno omnibus indulgere faventissimum, ne spes pacis sub exitum anni superioris concepta, sive protrahatur sive evertatur; sed potius inter Principes stabiliatur concordia, sanguinisq; Christiani constantior parsimonia. Habeamus annum hujus seculi undecies septimum, ac in tot Septenariis, sacrum latere numerum intelligamus. Aut si Sacrum Septenarium in se continet Spiritus Sanctus à Christo missus, efficiat ille Felicem & Sacrum Annum, in quo nec pietatis nec gratulationis frustra desideremus materiam. Sic nobis faveat Salvator optimus, per sanctam nomen, quibus claret, significationem. P. P. Feste Epiphaniæ Anni nuper inchoati MDC LXXVII.